



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clxx [i.e. xv]. Implicat rem existere absquè omni ubi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

ubicationem. Hinc si quis uno loco totis viribus disputaret, alibi ad alia gerenda negotia esset ineptus. Hinc materia prima (si id in uno loco non potest) in pluribus existens locis, non potest capax sustentare plures formas substantiales &c.

XIV. Jam verò accidente replicato rei replicatæ pereunte in uno loco, perit quoque idem in alio loco, cum enim definitio sit negatio existentiae, ut hæc dicatur esse absolutè, existentia debet nullibi esse. Hinc si abscinderetur Petro hinc Coloniae brachium, sive corrumpere unio inter ejus brachium & reliquum corpus, periret ea quoque Romæ. Aliud tamen est, accidens corrumpi in uno loco; aliud, unam ejus ubicationem destrui. An autem, si ubicationis unionis inter corpus & animam destrueretur in uno loco, homo dici deberet in isto loco mortuus; quæstio est de nomine, meliùs non esset dicendus mortuus, cum negatio hujus unionis absolutè non sit in rerum natura.

XV. Ne quidem divinitus potest res existere absq; omni ubicatione, sive extra omne spatium reale & imaginarium; implicat enim
crea-

creatura, cui non sit intimè præsens Deus, adeoq; quæ non sit intimè præsens Deo, sed huic non potest esse ubiq; præsens, ergo alibi. Similiter hominis existentis & nullibi existentis anima erit unita corpori, adeoque illi intimè præsens, & consequenter ibi, ubi est corpus. Ad hæc, talis creatura erit, & non erit, quia ejus negatio erit ubique: Non poterit itaq; Deus destruere omnem, etiam indeterminatam Petri ubicationem, aut impedire omnem actionem omnis indeterminatè ubicationis productivam pro eo instante, quo Petrus ubicatione prior est naturâ. Petro relicto in rerum natura, sicut nec ejus cōservatione omnem, quæ similiter est modus solùm accidentalis, potest destruere. Nequè tamen hinc sequitur, hoc accidens fore de intrinseco conceptu, vel de essentia Petri; plura enim sunt, sine quibus res esse non potest V. G. res esse non potest, quin sit alba, vel non alba, & tamen nequè albedo, nequè ejus negatio est de essentia rei, similiter sunt multa, quibus sublatis, res consecutivè perit, & tamen non sunt de conceptu rei essentiali. Præterea illa, sine quibus determinatè res esse potest, sicut esse potest & sine

hac , & sine ista , five sine omni determinatè accepta ubicatione , non sunt de essentia rei.

XVI. VACUUM est *locus carens corpore* id est, locus realis, actualis, extrinsecus, seu superficies actualis corporis continentis, saltem aptitudine : adeoq; non est ipsum inane intra locum extrinsecum quasi contentum, sed præter hoc in obliquo importatum , est ipsa superficies corporis ambientis illud inane. Quale quid non est spatium imaginarium , utpote quod actu est purum nihil , & datur suo modo, etsi nulla reali circumseribatur superficie. Vacuum Deus facere potest, si V.G. relictâ solâ concavâ cæli superficie annihilaret omnia intra illam contenta ; in quo vacuo naturaliter fieri posset motus, tam alterationis (modò passum sit agenti contiguum) quàm localis V. G. brachium extentum huc illucquè gyrari. Naturaliter tamen, saltem ab agentibus sublunaribus, effici nequit ; hic enim contiguitatis amor ab auctore naturæ ad servandum imperturbatum universi ordinem videtur inditus corporibus naturalibus , quæ mundum veluti corpus quoddam componunt, ut tantopere
hor-